

DISSERTATIO ACADEMICA

IN

GENES. XVI: 13.

QUAM

Consentiente Ampl. Fac. Phil. Reg. Acad. Aboënsis,

PRÆSIDE

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

Lingg. Orient. & Gr. Professore Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publico examini submittit

CAROLUS HENRICUS HOLLBERG,


Stip. Reg. Borea - Fenno.

In Auditorio Superiori die xxii April. mdccc.

b. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

f.



Framledne Kongl. Högh. Hof-Predikantens
och Capellanens

Mag. ES. HOLLBERGS

Efterlemnade Enke-Fru

*MARIA CHRISTINA
HOLLBERG,*

Född WALIN,

MIN VÖRDADE MOR!

*O*m minnet af Edra välgärningar — alltid rörande och dyrbart — likväl den stund jag tilegnar Eder dessa blad, är mer än annars lifligt, och åtfölgt af en mera tillfredsställande känsla: — så tillskrifven denna olikhet icke förmåtenhetens inbilliska fågnad, utan det tacksammas hjertats oskyldiga öfvertygelse, at genom et offentligt vidkännande af sina förbindelser vinna för sina känslor en ny och friare utvidgning.

CARL HENRIC HOLLBERG.

VIRO
ADMODUM REVERENDO
DOMINO
ABRAHAMO RENSTRÔM,
S. Ministerii Adjuncto in Tôfiata & Kivimaa.

AFFINI SUO SVAVISSIMO,

Omnium sane ingratisimus essem, si hanc multis votis mihi expetitam occasionem prætermitterem, publice testificandi pietatem, qua Te, Affinis amatisime, ob beneficia in me abunde collata (inter quæ ultimum haud locum occupat, quod Tua institutione per quattuor annos usus, prima litterarum elementa didicerim) ad cîneres usque sum profecturus. Præter animum autem gratum quum nihil habeam, remuneratio- nis loco Tibi offerendum, impense rogo, velis Disfertationem hanc meam Gradualem Tibi in pignus meæ in Te nunquam intermorituræ observantiæ & cultus dicatam benigne excipere. Ego calidissimas Supremo Numini pro perenni Tua felicitate preces ferre nunquam intermittam.

CAROL. HENR. HOLLBERG.



Hagari, sterilis heræ iram, quam gravida ex Abrahamo facta ipsa in se concitaverat, effugi-
enti, Jovam in deserto apparentem, ut domum re-
versa Sarajæ sese subjiceret præcepisse, huicque man-
dato promissionem de posteris numero infinitis, cum
omnibus hostiliter victuris, at libertatem tamen fu-
am, feram (nomadicam) vitam agendo, tuituris, ad-
didisse legimus *Genes. XVI: 7 - 12*. Cujus quidem
Θεοφανείας editique oraculi rationem, neque fortas-
sis ex ipso S. Scripturæ loco satis certo definiendam,
explicandam nobis jam non sumimus. Eundem ve-
ro qui conspicuum se præbuerat, יהוה f. יהוה
הגם, Hagar אד ראי appellasse & insuper הגם
ראי הלם ראיתי אחרי ראי traditur; qui-
bus verbis usa, quid significare, quemve animi sen-
sum exprimere voluerit, minime inter interpretes
convenit. E quibus igitur diversis sententiis eam,
quæ ceteris præferenda videatur, suis rationibus
quadantenus confirmatam exponere, specimen ali-
quod Academicum edituri, decrevimus, lectoris be-
nevolentiam, vehementer nobis expetentes.

§. I.

Ad laudata Hagaris verba illustranda ut viam nobis muniamus, monendum est, ipsa prima com-
 matis 13. illa יהרהר שם ותקרא ab aliis *vocavit nomen Jovæ* scil. אל ראי, ab aliis *invocavit Jovam*, vel ad
 verbum presius, *Jovæ nomen*, seu ut Onkelos, *oravit in nomine Jovæ a)* dicens &c., reddi. Quam qui-
 dem disensionem maximi non esse momenti, quis-
 que facile videt. Etenim sive illud שם ותקרא hic pro
 simplici nominatione, sive pro compellatione cum
 adorationis & precum quodam genere conjuncta ac-
 cipias, indubius tamen erit loci sensus, ancillam Æ-
 gyptiam, Jovæ abeunte, vel forsan subito, cum ora-
 culum edidisset, se subducente, quæ Deum secum lo-
 cutum agnoverat, facti dictique miraculo attonitam,
 spei lætitiæque plenam, in hæc verba erupisse *b)*:
profecto es אל ראי. Adorasæ vero eam expavescantem,
 cujus oculis divina mox obversata erant, cujus au-
 res adhuc ὄμνη replebat, nemini, vel nulla hujus rei
 mentione a S. Auctore injecta, valde erit improba-
 bile, qui adorationem fere naturale rudioris & in-
 culti (qualis est in barbaris populis) animi, stupore
 perculsi, esse signum cogitaverit, vel qui locum no-
 strum

a) וצליאת בשמא - די

b) Subintelligendum videl. est vocabulum ותאמר

strum cum S. Sæ aliis plurimis c) in quibus divi-
 næ apparitiones commemorantur, contulerit. Erant
 quoque ei a Deo promissa ejus indolis, ut eorum
 perfectionem non posset non vehementer sibi exo-
 ptare. Quare quoniam verisimile est, Hagarem quo-
 dam veluti cultu Jovam mox abeuntem profecutam
 esse, fidemque ejus implorasæ, quin idem significa-
 re voluisse Sacrum Scriptorem putemus, vix quid-
 quam erit, quod nos, ubi a vulgariore altera inter-
 pretatione recedere velimus, impediatur, maxime quum
 שׁוֹרָה etiam alibi passim d) de divini favoris &
 auxilii invocatione e) usurpatum reperiamus.

§. II.

In interpretando dein illo שׁוֹרָה a), quo vel-
 uti nomine Hagar Jovam appellavit, varie versati
 sunt Philologi (veteribus etiam inter se dissentienti-
 bus), quorum scil. alii id *Deum videntem me* h. e. qui
A 2
vi-

c) v. g. *Genes. XVII: 3. Exod. XXXIV: 8*, & in N. Fœ-
 deris codice etiam *Mattb. XVII: 6*.

d) v. g. *Pf. XCIX: 6. Thren. III: 55*.

e) Quod in *Drusium* observandum est, qui in *notis maj.*
 h. l. monet solum שׁוֹרָה יְהוָה, numquam שׁוֹרָה
 יְהוָה, verti debere *invocavit nomen domini*, quod &
 ab hoc loco alienum judicat.

a) Codex Samar. exhibet lectionem שׁוֹרָה לֵאלֹהִים *Deus videns*.

vidisti & vides afflictionem meam, alii *Deum visionis* f. qui hominibus (al. piis) conspiciendum te præbes, f. quem, ubi scil. te manifestaveris, conspiciere homines possunt, f. ut nonnullis placet, qui vides & videris, alii *Deum visionis meæ* f. quem & hic jam video & antea in domo Abrahami vidi, alii aliter, reddunt. E quibus explicationibus nulla quidem Grammaticæ rationi repugnat; nam potest וַיִּרְאֵהוּ pro participio aut sine suff. (non abjecta videlicet littera ׀ originarie radicali), conferendo cum Arab. ^ورآه^ه aut ^ررآه^ه, vel pro וַיִּרְאֵהוּ aut participio aut substantivo cum suffixo pron. 1. pers. sing., vel pro nomine וַיִּרְאֵהוּ (ad formam וַיִּרְאֵהוּ, וַיִּרְאֵהוּ, וַיִּרְאֵהוּ) positum spectari. Harum igitur ut quænam rejicienda, quænam retinenda sit, judicium feratur, ea sane optima & aptissima haud immerito censetur, quæ maxime & loco ac tempori, quo Hagar verba illa pronuntiaverit, & naturæ divinæ cognitioni, qua illa instructa *αναλογως* cum aliis antiquissimæ ætatis hominibus haberi queat, conveniens putetur. Unde eo scientiæ & culturæ vestigio, ad quod Hagar evecta fuerit, multo superior forsitan videbitur notio de Deo omnia cernente; quam scil. ejus mens vix vel factæ in deserto apparitionis ope & beneficio adjuncta ac subito veluti collustrata assequi potuerit. Ægrius igitur amplectimur eorum sententiam, qui וַיִּרְאֵהוּ hic o-

maius

omnia videntem b) interpretantur; nisi forte *omnia* absolute omnia definire nolueris. Verum potius probandi videntur, qui Hagarem verbis, de quorum vi jam disputatur, animi sui aliquem sensum, non abstractam veritatem theologicam, expressisse, adeoque magis ad eam rationem, quam inter se & Deum intercedere, lætissimam opinionem mox concepisset, quam ad eam (cujus notionem vix sibi fingere valeret), quæ inter Deum & universum sit, respexisse existiment. Nam in deserto oberrans, præsidio iisque quibus vita alitur, destituta, quorum itura, quid susceptura esset, ut imminens mortis periculum evitaret, anxie dubitans, fere non nisi tristes, in quibus versaretur, res animo volvere potuit. E desperatione igitur ad jucundarum rerum spem & præsentionem momento translata, quid primum cogitare, quid eloqui potuit, nisi quod proxime suggereret gratus, recens ortus, quo animus jam perfusus esset totusque occuparetur, sensus? Lætabatur vero, sibi, cum brevi perituram se putaret, non modo ætatem, sed & nominis immortalitatem conciliandam promississe adstantem Jovam, hilarique mente agnoscebat Divinum, h. e. sapiens & bonum, quod omnino deberet sequi, esse consilium, sibi a Jova datum, redeundi & heræ dominio pa-

A 3

ren-

א) וְרִי קוֹלָא vertit Onkelos.

rendi. Quorum igitur jucundiorum sensu abreptam, *profecto es Deus videns me*, h. e. qui mihi bene cupis, qui mihi propitius ades c), vel *Deus videns* h. e. qui sollicitus (gnavus, non negligens) in curandis tuorum, in quorum numerum ego referenda sum, semper es rebus, vel es *Deus visionis meae* h. e. intelligo esse Deum te, quem video, (& fortassis, quem olim etiam vidi), exclamasse verisimile est. Certius vero & accuratius statuere quid his verbis Hagar innuerit, vetat ipse, sive quam ipsi tribuit Sacer scriptor, brevilloquentia.

§. III.

Compellationi Dei sive exclamationi illi addidisse a) Hagar legitur hæc verba: *הַנֶּם הֲלֹם יֵאִמְרֵי אֲחֵרֵי רֵאִי*, quæ maximum facesiverunt interpretibus negotium. Nostrum jam non erit percensere varias hypotheses, quæ ad difficultates, quibus locus premitur, removendas excogitatæ sunt & in medium prolatae. E multis vero, quibus ad explanandam hanc commatis nostri partem eruditi iyerunt, viis,

c) Videre s. intueri aliquem, faciem alicui advertere, &c. Hebræis sæpissime esse *favere alicui* notum est.

a) Particulam *כִּי* quin immo, ulterius, passim denotare, exempla a NOLDIO in *Concord. particul. Hebr. Chald.* allata docent.

viis, duæ imprimis sunt celebres; quarum qui alteram progressi sunt *b*), Hagarem faciunt dicentem: *num etiam adhuc video* (s. vita fruor, s. quod alii malunt, oculis utor, aut potius, uti poterò) *post illam visionem?* Nimirum erat vulgaris in antiquis populis opinio, neminem facile, præter eos, qui vel Divinæ originis vel Diis amatisissimi ac cum illis quadam veluti consuetudine conjuncti essent (quibus deos *ἐναργεῖας* interdum coram se stitisse, in veterum scriptis traditur), sine vitæ vel saltem visus aut usus rationis jactura obtueri deos, ob splendorem scil. qui eorum faciem circumdaret, radiosque præcipue luminis, ex eorum oculis emicantes, posse *c*). Quamobrem dii, ubi ipsi mortalibus nuntiare aut inter eos agere quid vellent, vel hominis cujusdam, illis noti & familiaris, specie induti, vel obducti aëris nebula prodire, vel conspiciendos se non præbentes, voce & sermone aut prodigiis quibusvis ac portentis significare quæ indicanda sive monenda viderentur, plerumque solebant *d*). Cujus opi-

b) E recentioribus CLERICUS, DATHIUS, SCHULZIUS *schol.* in h. l., al.

c) Χαλεποι δὲ θεοὶ φανεροὶ ἐναργεῖς HOM. II. XX: 131.

d) Cfr. HEYNE *Excurs. XIII. ad Virgilii Æn. lib. I.* HERMANN. *Handb. d. Mythol. I. B. pagg. 8. sqq.* EICHORN *Allgem. Biblioth. d. Bibl. Litt. VII. B. pagg. 15. sqq.*

opinionis, Hebræis etiam acceptæ, in codice Sacro multa sunt exempla. Sic v. gr. miratur Jacobus e) se vivere, quamquam Deum coram vidisset. — Moses f) obtexit oculos suos, quod vereretur Deum sibi apparentem intueri. — “Faciem meam videre non poteris,” dicit Jova Mofi g); “non enim vivet homo, qui me viderit.” — Gideon h), “eheu me,” inquit, “pereo, nam coram vidi יהוה מלאך s. Jovam sese mihi manifestantem,” cui respondit Jova, “ne timeas; non morieris!” — Manoachus i) uxorem suam allocutus, “moriemur,” ait, “etenim Deum vidimus” — Jesaias k) “Væ mihi,” inquit “sane perituro, quod Jovam præsentem viderim.” — Alia plurima ejusdem rei documenta ut prætereamus.

Idem igitur illud cum & Hagari persuasum fuisse probabile sit, Deum seil. ab hominibus vix salva ipsorum vita sensibusque sanis manentibus

con-

Magazin für Philologen, herausgeg. von RUPERTI und SCHLICHTFORST. I. B. pagg. 221. Sgg.

e) *Genes. XXXII: 31.*

f) *Exod. III: 6.*

g) *Exod. XXXIII: 20.*

h) *Judic. VI: 22, 23.*

i) *Judic. XIII: 22.*

k) *Jos. VI: 5.*

conspici posse, eatenus quidem a nostra approbatione non abhorret eorum sententia, qui illam post apparitionem vel dubitantem, utrum vera re superstes & sospes esset, an imaginationis quadam veluti lusione decepta, in vivis esse sibi videretur, vel mirabundam, se incolumem esse, sibi fingunt, quatenus ea verborum, quæ in Sacro Scriptore leguntur, genuina vi confirmari possit. Verum bene observavit vir celebris 1) obstare huic interpretationi, quod םלח m) alias nunquam ad tempus, sed semper vel ad locum vel ad rem referatur. Accedit טו האר a-ctivam ubique, nullibi neutralem s. intransitivam, habere significationem, s. q. i. e. nunquam pro videndi aut oculis utendi facultate s. potestate, sed semper pro ipsa visione s. videndi actione occurrere, & *videre* igitur rem aliquam, non *videndi vi præditum esse*, reddi debere, atque hinc plerumque ita usurpari, ut aut expresse ei adjungatur aut saltem subintelligatur subjectum visionis. Cui igitur vocabuli hujus, raro absolute positi, usui convenienter vix transferenda existimes Hagaris verba: *etiamnum*

B

oculi

1) ROSENMÜLLERUS Schol. ad h. l.

m) Arab. أبصر.

oculi mihi sunt salvi n), vel *vita incolumis o)*? Quod si $\tau\omega$ רָאָה notionem, non videndi, sed potestatis & copiae videndi h. l. competere velis, ex analogia tamen linguæ, saltem quæ plerumque valet, fere potius in participio sive futuro, quam præterito, quod dicunt, tempore, constitutum, esse debere hoc vocabulum, ut eo utens Hagar se oculorum usu non privatam esse, se mirari significet, putes. Ad quas igitur difficultates, huic interpretationi opponendas & oppositas, evitandas, plurimis opera in eo collocanda visa est, ut alius S. Scriptoris verbis adaptatior erueretur eorundem sensus.

§. IV.

Secundum alteram igitur, plurimis interpretibus probatam, loci nostri explicationem, Hagar mirata se in deserto etiam Deum, quem in Abrahami domo veluti habitare putaret, vidisse, in scenam producit. Jubent scil. haud pauci a) verba illa difficili-

z) Quod Hebraice forsan potius $\text{הַגָּם אֵינִי רֹאֶה}$ vel $\text{הַגָּם לִי עֵינַי לֹא רֹאֶה}$ enuntiandum fuisset.

o) Nam ut רָאָה *instruclum esse cernendi potestate* reddi nequit, ita idem inde neque *vivere* significare potest.

a) E quorum numero sunt VULGATUS, JARCHIDES, MERCERUS, MÜNSTERUS, NOLDIUS l. c. voc. הַלֵּם , J. D. MICHA-

ciliora transferri: *Num hic etiam vidi posteriora videntis* (s. *post videntem*) *me?* Nempe persuasum sibi habebant homines antiquissimæ ætatis, ad mortalium imaginem & similitudinem naturam divinam sibi animo fingentes & cogentes, atque hinc limitibus etiam certis & arctissimis eandem circumscribentes, deum, quem pluribus simul locis adesse vix vel leviter suspicari possent, imprimis ibi in terris versari, ubi pie coleretur h. e. ubi sacra eximia ei darentur *b*). Cujus rei argumenta ex profanis Scriptoribus

B 2

ELIS, EICHHORN *Urgeschichte in Repertor. IV Tb. pag. 192.* & in edit. *Gableri II Tb. II B pag. 76* (cum quo consentit *GABLER ibid.*), ROSENMÜLLERUS *Schol. b l.*, RUPERTI in *Magazin für Philologen l. supra cit.*

b) Vere RUPERTI in *Beytr. zur Bibl. Theol. (Götting. Biblioth. d. neuest. Theol. Liter. II. B. I. St.) pag. 19: Es ist eine bekannte Idee der alten Welt, dass die Gottheit diejenigen Plätze, Oerter, Städte und Gegenden mehr, als andere, liebe, und besuche, auch sich daselbst mehr und länger aufhalte, am meisten gegenwärtig sey, und unter ihren Verebrern wandle, wo ihr zu Ehren oft geopfert, und ein fest angestellt, wo sie vorzüglich verehrt werde, wo sie Schmausereien, Feste und Opfern bewohnen könne, woran sie ein eben so großes Vergnügen, als die Menschen, deren getreueste Copie sie ist, findet.* — Hinc etiam reddenda est ratio, cur dii terras cultas potius & frequentius quam incultas invisere & peragrare fingerentur, Bene igitur RUPERTI *l.*, mox *cit.: Die Göt-*

ribus multa haud difficulter conquiri possunt c). Verum eadem etiam vetustorum ex Hebraea gente homi-

ter reisen gerne durch die Länder gesitteter Völker, wo sie gut bewirtheet werden, und schmausen können, aber ungern durch unbekannte Gegenden, wo keine Menschen wohnen, und ihnen folglich auch keine Opfer bringen. Cfr. v. c. Odysl V: 99. sqq. ubi Mercurius his verbis causam exponit, ob quam sese, invitum scil., ad Καλυψοος insulam in medio (inculto videl.) mari sitam contulerit:

*Zeus ἔμε ἠγάγει δειρ' ἐλθεμεν οὐκ ἐθέλοντα.
 Τίς δ' ἂν ἕων τοσσόνδε διαδραμοὶ ἀλμυρῶν ὕδαρ
 ἀσπετον; οὐδὲ τίς ἀγγίξῃ βροτῶν πόλις, οἷτε θεοῖσιν
 ἱεραῖ τε θεζουσι, καὶ ἑξαίτους ἑκατομβας.*

— Quatenus igitur verum est, quod monet EICHORN *l. c.*: *Der Wirkungskreis Gottes geht nicht über die bewohnten Gegenden hinaus; nur dahin reichen seine Augen, und weiter nicht.* Nam agere quid dii, nisi ubi corpore veluti suo circumdati essent, non posse videbantur; esse vero iidem fere non nisi ubi cultus ipsis praestaretur, putabantur; unde in desertis & incultis locis, quae scil. abhorrerent raroque inviserent, eos vix quidquam efficere, non quidem posse, sed velle opinabantur.

c) Cfr. v. gr. *Hom. Il. I. 37.* ubi Apollo *Χρυσὴν ἀμφιβέβηκως* dicitur; vid. quae in *b. l.* monuit KOEPPEN, quem literarum studiis valde profuturum, ipsi si *b. c. D.* aetas provecior contigisset, morte admodum praematura a perpetua in Homerum annotatione absolvenda abreptum vehementer cum liberalium artium amantibus omnibus dolemus. Cfr. etiam *Il. IV: 51, 52.*

minum fuit opinio *d*); quod satis superque testantur, quæ de iis sunt memoriæ prodita. Jacobus v. gr., cui patrii domiciliî fines egresso, visio dei patrii præter spem suam & opinionem contigerat, expergefactus, "profecto Jova est hoc in loco (extra terminos, quibus eum inclusum putavi)," ait, "quod ignorabam ego"; timoreque percussus venerabilem esse locum dixit, qui videl. sibi nonnisi divina habitatio, & e quo ad cœlum aditus pateret, videretur *e*).

Pertinuit quoque, ut ante monuimus, ad ea, quæ vulgarem divinæ naturæ notionem ætate ab infantia generis nostri non procul remota constituebant, opinio, qua dei vix faciem, sed tergum & posteriora ab hominibus, salvis ipsorum vita & sensibus, conspici posse putarent: inde forsan oriunda, quod ut quidquid *ἰσχυρ* esset, valde iis præstare, quibus instructi mortales cernerentur, fas erat credere, ita deorum vultus etiam & aspectus, quo majores scil. & acriores humanaque omnia longius su-

B 3

peran-

d) Unde & tabernaculum, ubi arca fœderis reposita esset; & dein Templum (templorum appellatione hinc eadem ad nostra usque tempora manente), *ades* s. *palatium Dei* dictum. Cfr. HEZELS *Schriefftforcher* I B, pagg. 400 sqq.

e) *Genes. XXVIII: 16* sqq.

perantes animi & ingenii vires prodere debere is videretur, eo veluti ardentior ac terribilior & percellentior non potuit non fingi; eo vero, ut videtur, haud parum confirmata, quod dii sæpissime non ante suum ab hominibus, quos adiiissent vel allocuti essent, discessum, se manifestarent aut agnoscendos præberent, sive quod idem haud raro est, quod homines non mox, sed postquam ad se mentisque usum rediissent, abjecto primo ex præsentia divina oriundo timore, deos secum locutos esse, hoc vero passim est, agendi v. c. consilium ipsis datum bonum & sapiens s. divinum esse, intelligerent: quam rem quis negabit veluti fabula quadam, docente dei posteriora cerni posse, anteriora non item, apte significari? Quisquis vero opinionis ortus videatur, familiaris tamen ea fuit antiquissimis populis, & inter eos Hebræis etiam, cfr. *Exod. XXXIII: 22, 23.*

A vetustissimorum igitur hominum divinas res cogitandi more & ratione minime alienum censebitur Hagarem Jovam, Abrahami scil. deum, hujus in tentoriis imprimis versari, existimasse, & hinc, in deserto viso hoc heri sui deo, rei necopinatae admiratione, quam igitur & verbis mox expressisse putari possit, & stupore captam fuisse. Verum illorum אֱלֹהֵי אַבְרָהָם artificiosior omnino, quam simplicitati hominis eadem proferentis adaptatior, videtur explicatio, secundum quam pro se vidisse *Abrahami*
De-

Deum, Hagar se vidisse posteriora ejus, qui ipsam viderat, f. post videntem se f), affirmasse dicenda est. Unde si nostro quidem sensui nobis fidendum est, data hac verborum interpretatione nondum omnes, quæ intelligentiam loci nostri impediunt, difficultates sunt sublatae.

§. V.

Ultimo igitur commemorandam ducimus posterioris commatis nostri partis paraphrasin, quam tradit JARCHIDES: אף הלום במדבר ראיתי שגורו של מקום אחרו וראו אותם בכותו של אברהם ששם הייתי רגילה לראות מלאכים; eo saltem nomine ceteris plurimis explicationibus anteposendam, quod iis facilior & planior videatur. Omnia vero, quæ gravem reddere possint collocandam in loco nostro explanando operam, superanda vix erunt. Quare conjectura ut rei ratio svadet utendum, ferme probabilior nobis est vocabulorum, quæ JARCHIDÆ placet, ἐλλειψις, quam loci interpretatio quævis artificiosius inventa & elaborata.

Non

f) *Habe ich auch hier den gesehen, und im Weggeben erkannt, der mich gesehen hatte?* transfert J. D. MICHAELIS. — Ceterum vix est ut moneam eos falli, qui quia non אחרו, sed אחרי, hic legitur, των ὀπισθίων ab interpretibus nonnullis male fieri mentionem exultiment.

Non inepte igitur quis comma nostrum hæc fere periphrasi illustrare conabitur: *discedentem Jovam Hagar adorans, "profecto deus es, qui oculis meis jam es obversatus (s. idem, quam & ante mihi contigit præsentem venerari)," ait, & superato aliquatenus terrore, ad se rediens, & veluti subdubitans, Deumne vere viderit, stuporis & admirationis plena, "num hic etiam Jovam vidi, quem in Abrahami tentoriis videre solita sum, & in iis solis conspiciendum esse putavi?" inquit a). Verum rationes, quibus hæc interpretatio suffulciatur, partim in antecedentibus exposuimus, partim quisque levi eruet negotio: adeo vero eas nobis non satisfacere, ut nihil quod in illis desideremus superfit, lubenter fatemur.*

a) Quodsi quis particulam ׀ h. l. causalem esse velit, sensus erit, neque improbandus idem, Hagarem Jovæ *dei visionis* nomen indidisse, quia eum sibi apparentem sive vilum agnoverat.

